

mortalis. Et ideo non eodem modo erat homo ante mortem, et post. Quod si quærat an alicubi, tunc esset homo, et ubicumque esset homo, responderetur non esse ubicumque, quia nec modo ubique est homo, sed solum ubi habet humanitatem. Tunc autem in sepulcro ubi habebat carnem erat homo, et in inferno ubi habebat animam erat homo, quia utrobique habebat eandem unionem ad carnem, et animam quam habuit dum inter se erant unitæ licet in morte non fuerint. Et tamen si ab initio carni tantum uniretur, vel animæ tantum non diceretur homo, ex quo tamen unitus fuit humanitati, permanente hac unione, licet caro et anima non sint unita inter se, dicitur adhuc homo in vi prioris unionis.

Circa secundum, docet Christum ratione personæ totum esse ubique non ratione naturæ, et sic Augustinus dicit quod ubique est totus, et ubique perfectus, et sic potest dici quod totus erat in inferno, et totus in cælo, sed non totum, hoc enim ad naturam refertur, istud ad hypostasim, ut ex Damasceno constat.

Circa tertium, docet quod si attendamus ad personam, ratione personæ dicitur ille homo descendisse de cælo, non ratione naturæ, ratione enim personæ habent communicationem idiomatum, et id quod est Dei attribuitur homini, et id quod est hominis Deo, et sic dicitur Deus crucifixus, tamen in forma servi crucifixus sit, et dicitur homo descendisse de cælo, cum tamen Deus sit qui descendit.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an Christus in morte fuerit homo, de quo agit in III p. q. LVI, art. IV. Secundo, an descenderit ad inferos et quos effectus ibi fecerit, ubi de motu animæ separatae quo movetur, de quibus

agit III p. q. LII. Tertio, inquit de ascensu in cælos, utrum debeat illi ascendere, et utrum propria virtute, et an motu violento, utrum super omnes cælos, etc. de quibus III p. q. LVII.

DISTINCTIO XXIII.

Expedito tractatu de mysterio incarnationis, incipit ab hac distinctione secunda pars hujus libri, in qua agit de virtutibus usque ad finem libri. Et tractat de illis hoc ordine. Primo, de virtutibus theologicis usque ad distinctionem xxxiii. Secundo, de carnalibus, distinctione xxxiii. Tertio, de donis, distinctionibus xxxiv et xxxv. Quarto, de connexionione virtutum distinctione xxxvi. Quinto, de præceptis circa virtutes usque ad finem libri.

In hac ergo distinctione incipit agere de fide hoc ordine, quod in ista distinctione agit de fide quantum ad essentiam suam, et objectum formale; in sequenti de his quæ conveniunt fidei ex parte objecti, ut quod sit de non visis, de non scitis, etc. In alia vero distinctione scilicet xxv, de his quæ conveniunt fidei ex parte subjecti, et quomodo in antiquis fuerit, et in nobis. Et in hac distinctione facit tria. Primo, proponit definitionem fidei, et eam explicat, et quomodo sit una fides docet. Secundo, alteram descriptionem fidei ex Apostolo adductam declarat. Tertio, solvit difficultatem quamdam an ista descriptio fidei conveniat etiam spei.

Circa primum, definitur fides communiter et in generali, quod fides est virtus qua creduntur quæ non videntur, intelligitur de his quæ non videntur, et sunt pertinentes ad religionem christianam. Quam definitionem ut explanet, præmittit diversas acceptiones fidei, qua sumitur aliquando pro eo quod credimus,

aliquando pro eo quo credimus. Et id quo credimus dupliciter accipitur vel pro eo quo credimus quod est virtus, scilicet fides formata per charitatem, vel pro eo quo credimus quod non est virtus, scilicet fides informis. Hinc fit quod distinguantur illa tria, credere Deo, credere Deum, credere in Deum. Credere Deo, et credere divinæ auctoritari, quia dicit, credere Deum est cognoscere per fidem, quod ipse sit, et utrumque habet fides informis in peccatore: credere in Deum est credendo tendere in Deum amando ipsum, et hæc est fides quæ justificat impium. Ipsa ergo fides qua peccatores credunt, qualitas mentis est sed informis. An vero accedente charitate corrumpatur et fiat alia, an vero maneat, et perficiatur? Hoc secundum Magister affirmat. Quomodo vero fides dicatur una ab Apostolo, una fides, unum baptisma? Respondetur id esse, tum ex parte rei creditæ, quia omnes, qui catholicam fidem habent idem credunt, tum ex parte habitus quo credunt, quia est ejusdem speciei in omnibus licet non sit eadem numero propter diversa subjecta.

Circa secundum, ad explicandum descriptionem fidei traditam ab Apostolo præmittit fidem esse de non visis: « Apparentia enim, ut ait Gregorius, non habent fidem, sed agnitionem. » Et Augustinus: « Quid est fides? Credere quod non vides » quod ex aliis Gregorii et Augustini auctoritatibus comprobatur, licet enim fidem ipsam experiamur in nobis, et intellectualiter videamus, tamen ea quæ fides attingit, non videmus. Dicit ergo Apostolus: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur substantia, quia est fundamentum, et inchoatio sperandi, et in qua subsistunt ea quæ speramus. Dicitur argumentum, quia est conjectatio seu

probatio eorum quæ non apparent, aut de quibus dubitamus, per fidem enim certificamur de his, et probamus sic esse, qui fides dicit.

Circa tertium, quærit an prædicta etiam spei convenire possint. Et respondetur utrumlibet dici posse, sed tamen etiamsi hæc descriptio conveniat spei, adhuc tamen fides differt a spe quia fides est fundamentum, et præcedit spem, potest non credi aliquid quod non speratur, non tamen sperari, quod non credatur. Et licet fides ut virtus non sit sine spe et charitate, tamen actus fidei præcedit actum spei, et etiam ipsa fides, ut virtus naturaliter præcedit spem, etsi non tempore. Charitatis autem non dicitur fundamentum fides, quia ipsa est mater omnium virtutum, et in sententia Magistri charitas est Spiritus Sanctus, cujus fides non est fundamentum, sed effectus. Quod autem dicit Gregorius, quod non charitas fidem, sed fides charitatem præcedit, potest id intelligi, de fide informi, non de fide ut virtus, vel de ipso actu fidei, qui naturaliter actum charitatis præcedit.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, de virtutibus genere, utrum sint habitus, de quo 1-2 quæst. LV, art. I. Et utrum indigeamus habitibus, de quo quæst. XLIX, art. III. Secundo, utrum habitus intellectuales sint virtutes, de quo quæst. LVII, art. I. Tertio, utrum sint tantum tres virtutes theologicæ, de quo ibi quæst. XXVI, art. III. Quarto, de ipsa fide inquit, an ipsa recte definiatur ab apostolo, de quo 2-2 quæst. IV, art. I, et specialiter, utrum ejus actus, qui est credere recte definiatur, de quo ibi quæst. II, art. X. Quinto, an fides sit in intellectu, an in voluntate; an sit virtus, an prior omnibus virtutibus, de quo 2-2 quæst. IV, art. II, V et VII. Sexto, inquit utrum fides informis sit donum Dei, de quo ibid. quæst. VI, art. I an sit

in dæmonibus, quæst. v, art. II; an evacuetur adveniente charitate, de quo ibid. IV, artic. IV, et quo modo per charitatem formatur, de quo 2-1 quæst. XXIII, art. VIII.

DISTINCTIO XXIV.

In hac distinctione movet duas difficultates circa rationem non visi quæ est conditio objecti fidei. Prima, an possit aliquando fides esse de visis; secunda an possit esse de scitis, seu alias notis.

Circa primum, movetur dubitatio ex duobus. Primo, ex illis verbis Domini ad Apostolos: *Nunc dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis*. Credit ergo fides factis seu visis. Respondetur ex Augustino laudem fidei consistere in eo quod credamus, non apparentibus quæ vero fides dicitur quia visis credimus, non est fides de qua hic agitur, dicimus tamen aliquando credere rebus præsentibus, id est, certificari, quod magis erit præmium fidei quam fides. Ex alio capite movetur dubitatio, quia Petrus cernendo pati Christum, quo modo fidem passionis habebat. Respondetur habuisse fidem, quod homo ille quem videbat pati, Deus erat, sicut Augustinus dicit quod laus fidei est non quia credit hominem illum mortuum quod etiam paganus credit, sed quia credit illum glorificatum, et verum Deum.

Circa secundum, docet aliqua credi quæ prius intelliguntur, licet non sicut per visionem externam, vel sicut in futuro; alia vero prius credi, quem intelligantur et sciantur; nil tamen credi, quod penitus ignoretur, cum fides sit ex auditu. Creduntur quædam quæ prius intelliguntur, ut quædam quæ ad rationem naturalem pertinent; intelliguntur quædam postquam creduntur, scilicet supernaturalia, juxta illud: *Nisi*

credideritis non intelligetis. Debet tamen non penitus ignorari quod creditur, quia quod penitus ignoratur non amatur, et sic nec creditur. Et hoc ipsum Augustinus expresse dicit, et Ambrosius etiam probat.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, quodnam sit objectum formale fidei, de quo 2-2 quæst. I, art. I. Secundo, utrum fides et visio de eodem objecto possint esse simul, et utrum saltem scientia et fides possint esse simul in eodem subjecto de eadem veritate, de quo 2-2 quæst. I, art. IV et V.

DISTINCTIO XXV.

Agit in hac distinctione Magister de fide secundum eas condiciones aut differentias quas habet ex parte credentium seu ex parte diversorum statuum, quos habuit fides. Et sic dividitur in duas partes. In prima agit de his quæ in statu antiquæ legis ante evangelium necesse erat credere, tum in majoribus, tum in simplicibus, præsertim circa fidem unius mediatoris. In secunda tractat de æqualitate harum trium virtutum fidei, spei, et charitatis quantum ad operationes suas.

Circa primum, supponit fidem profecisse secundum temporis processum in expressiori notitia revelabilium. Sed cum minus omni tempore necessarium fuerit credere illa duo quæ Apostolus tradit ad Hebr. X: *Accedentem ad Deum oportet credere*, quia: *Est, et inquirentibus se remunerator est*, illud manet dubium an illa duo sufficiant, vel etiam requiratur fides incarnationis. Et respondetur semper fuisse necessariam fidem mediatoris seu Christi, sive implicite, sive explicite, quod probat ex Augustino ad Optatum, qui id expresse dicit, et colligit ex illo Act.

X: *Non est aliud nomen datum sub cælo in quo oporteat nos salvos fieri*, quod valere dicit ex eo tempore quo in Adam omne genus humanum vitiatum est. Sed tamen fides distincta hujus mysterii erat in majoribus, in simplicibus autem velata et implicita, inhærendo majoribus in credendo quod ipsi docebant. Et aliqui dicunt suffecisse ante evangelium credere quatuor de Christo, scilicet nativitatem, mortem, resurrectionem et judicium; alii quod sufficiebat credere Christum nasciturum de homine, et judicaturum homines. Cujus occasione quætionem interserit de Cornelii fide antequam a Petro edoceret, an fidem mediatoris explicitam habuerit; nam si habebat, quare Petrus ad edocendum illum mittebatur; si non habebat, quomodo eleemosynæ ejus acceptæ erant. Et respondetur dici posse quod sciebat incarnationem Christi quoad substantiam, et in confuso, non quod jam esset facta; vel credebat in Deum quem orabat, et nondum sciebat Christum, sed quia sine Christi fide salvari non poterat missus est ad eum Petrus, ut Augustinus docet.

Circa secundum, adducit ex S. Gregorio, quod in hac vita fides, spes, et charitas, æquales sunt, quia quantum credimus, tantum speramus, et quantum speramus tantum diligimus. Ex alia vero parte dicit Apostolus, quod inter hæc tria major est charitas, quia nunquam transit, nec excidit. Et sic illam æqualitatem virtutum intelligit quantum ad intensiorem actuum. Objicit denique Apostolum dicentem, quod finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta procedens, ergo falso supra est dictum, quod charitas non procedit a fide, et spe. Respondetur ideo dici charitatem procedere ex fide, et spe, quia sine illis esse non potest, bene tamen e

contra, non quia a fide vel spe causetur.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an convenienter articuli fidei distinguantur, et quid sit articulus, de quo 2-2 quæst. I, art. IX. Secundo, inquit, an sit necessarium ad fidem aliquid explicite credere, de quo 2-2 quæst. II, art. V. Tertio, an fides incarnationis, et Trinitatis explicite necessaria semper fuerit, et quomodo in diversis statibus diversa fides explicite necessaria fuerit, de quo etiam ibi art. VII et VIII.

DISTINCTIO XXVI.

Postquam in tribus præcedentibus distinctionibus egit Magister de fide, in hac agit de spe. Et facit tria. Primo, proponit diffinitionem spei. Secundo, explicat circa quæ versetur spes. Tertio, inquit an in Christo fuerit fides, et spes.

Circa primum, spes dicitur certa expectatio futuræ beatitudinis ex Dei gratia, et ex præcedentibus meritis. Nam sine meritis sperare, præsumptio est non spes.

Circa secundum, docet convenire fidem, et spem in hoc quod utraque est de invisibilibus, sicut enim fides dicitur non apparentium, ita de spe dicitur. Quod videt quis quid sperat; differunt autem, quia fides potest credere et mala et bona, præterita, existentia, et futura, sicut credimus Christi mortem quæ præterit, existentiam ejus in Sacramento quæ nunc est, et resurrectionem nostram quæ erit. Spes autem non nisi bonorum est, et futurorum, et ad Deum pertinentium.

Circa tertium, docet in Christo non fuisse fidem, neque spem quæ est virtus, sicut neque dantur in beatis, quia non per speculum, et ænigma, sed Deum clare in se vident, licet

enim Angeli dicantur credere nostram resurrectionem, et sancti sperare, tamen illud credere est idem, quod scire seu certificari non in ænigmate, et obscure videre, et sic stante clara cognitione deficit fides, et adveniente specie desinit spes. Ita in Christo, neque fides, neque spes virtus fuit, quia non ænigmatice, sed clarissime omnia videbat in Verbo, et possidebat. Dicitur autem sperasse Psalm. xxx: *In te Domine speravi*, non quidem per spem quæ est virtus theologica, sed spe communiter dicta. Sancti autem patres in sinu Abrahamæ ante passionem Christi, et fidem et spem habebant, quia nondum videbant Deum, nec possidebant.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas de spe communiter dicta; an sit pacto; an et quomodo distincta ab aliis passionibus; an in vi irascibili sit an; possit esse in intellectiva parte, de quibus 1-2 quæstio xl. Secundo, inquit specialiter de spe, quæ est virtus theologica; an sit virtus theologica, et distincta ab aliis, de quo in 2-2 quæst. xvii. Tertio, an habeat certitudinem in suo actu, de quo 2-2 quæst. xviii, art. iv. Quarto, an fuerit in Christo spes, de quo iii p. qu. vii, art. iv.

DISTINCTIO XXVII.

Explicato tractatu de fide, et spe incipit agere de charitate per sex distinctiones, hoc ordine quod primis quinque distinctionibus agit de charitate nostra. Primo, de charitate secundum se. Secundo, quantum ad objecta diligibilia per ipsam. Tertio, de ordine inter diligibilia servando. Quarto, de dilectione inimicorum, et efficacia meriti. Quinto, de duratione ejus. Denique sexto loco agit de charitate Dei.

In hac ergo distinctione agit de charitate secundum se. Et dividitur in tres partes. In prima describit charitatem, et occasione ejus inquit de duplici illa dilectione Dei, et proximi. In secunda circa modum diligendi Deum ex toto corde, et quomodo hoc præceptum impleri possit, discurret. In tertia agit de præcepto diligendi proximum.

Circa primum, definit charitatem ex parte actus quod est dilectio qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum. Hinc oriuntur illa duo mandata ex quibus tota lex pendet, et prophetæ diligendi Deum ex toto corde, et proximum sicut seipsum. Ubi inquit Magister, an sit eadem dilectio qua diligitur Deus, et proximus. Et respondet affirmative, nec enim potest diligere Deum qui fratrem non diligit, et legem non implet. Et sic ex eadem charitate diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum. Dicitur tamen gemina dilectio, et duplex mandatum charitatis, propter duo illa quæ diligenda sunt, alterum magis, et principalius, alterum minus, et sic magis movetur mens ad diligendum Deum quam proximum.

Circa secundum, ostendit regulam, et modum dilectionis esse ut Deum propter se diligat, et ex toto corde, proximum autem propter Deum, eo quod sic diligere debet proximum sicut seipsum, se autem propter Deum diligere quis debet si se recte diligit, alias male se diligeret, si ad Deum non referret, ergo et proximum sic diligere debet. Cum vero dicitur ex toto corde, ex tota mente, idem est, quod ex toto intellectu, tota voluntate et tota memoria, ut scilicet omnes actiones vitæ nostræ ad Deum referantur. Et hoc mandatum diligendi Deum ex toto corde, etc. impletur in hac vita ex parte, quamdiu durat concupiscentiæ lex adversus rationem, quæ

impedit ne totaliter omnes actiones vitæ ferantur in Deum, licet ex parte finis, et ex parte superiori ferantur; in futuro autem ubi omnis carnalis concupiscentia evacuabitur, implebitur illud mandatum in tota plenitudine. Ponitur tamen illud mandatum in hac vita, ut impleatur curando ad Deum secundum perfectionem vitæ, non totaliter, et ex omni parte ei inhærendo.

Circa tertium, advertit quod licet sint duo præcepta charitatis, sæpe tamen unum pro utroque ponitur, sicut cum dicit Apostolus omne mandatum legis instaurari in hoc verbo diliges proximum sicut te ipsum, eo quod in proximo diligitur Deus, et Deus non diligitur, si non diligitur proximus, sic enim est dilectio ab omni dilectione mundana discreta, sicut Dominus non dilexit in nobis nisi Deum, et medicus in ægrotis salutem, et ad invicem nos diligere debemus, ut ad Deum trahantur.

Circa hanc distinctionem, inquit D. Thomas multa de amore in communi; utrum sit passio; an sit in concupiscibili; an sit prima omnium passionum, de quibus 1-2 qu. xxv et xxvi. Secundo, inquit specialiter de charitate; an sit amicitia, et an possit esse amicitia naturalis; an sit virtus, an una vel plures, ubi est illa difficultas; quomodo adoratio ad Deum et ad creaturas sit multiplex, et amor non, de quibus agit 2-2 quæst. xxiii, art. i, ii, et v. Tertio, inquit an Deus possit per essentiam diligi in hac vita, et an totaliter et quis sit modus charitatis, de quo 2-2 quæstio. xxvii, art. iv, v et vi. De præcepto etiam charitatis, an possit impleri in hac vita agit qu. xliv, art. vi.

DISTINCTIO XXVIII.

Agit in hac distinctione de objecto

diligibili quod nomine proximi intelligitur. Et facit duo. Primo, enumerat ea, quæ diligenda sunt ex charitate præsertim nomine proximi. Secundo, inquit an ista dilectio etiam ad Angelos extendenda sit.

Circa primum, Augustinus numerat quatuor ex charitate diligenda. Unum supra nos scilicet Deus; secundum in nobis, scilicet quod nos sumus; tertium circa nos scilicet proximus. Quarto, infra nos scilicet corpus nostrum. De secundo et quarto non erat dandum præceptum, quia nullus carnem suam odio habuit sed etiam si charitatem non habeat seipsum diligit. Contra vero est, quia sic non omne diligibile illis duobus præceptis continetur: *Diliges Deum, et proximum*. Ad quod respondetur ibi etiam includi præceptum de diligendo se, dum dicitur diliges proximum sicut te, sed non erat opus distinctum præceptum ponere ad amandum se, ut ex eodem Augustino docet.

Circa secundum, inquit, an etiam ad Angelos extendenda sit dilectio proximi, nam de hominibus constat nullum esse prætermissum; ut illa parabola Samaritani ostendit, mandatum de diligendis etiam inimicis. Et respondetur affirmative, nomine enim proximi intelligitur omnis, cum quo communionem habemus a quo, vel cui exhibenda sunt misericordiæ officia; multa vero nobis a sanctis Angelis exhiberi, et cum eis habituros consortia constat. Deum autem a quo omnia beneficia recipimus, non ut proximum, sed ut superiorem diligimus, Christum ut hominem plus quam nos, sed sub Deo. Dicitur ergo proximus, vel nativitate conditione, vel spe conversionis, vel propinquitate cognitionis, vel beneficii exhibitione.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an virtutes sunt

diligendæ ex charitate. Secundo, an creaturæ irrationales. Tertio, utrum Angeli. Quarto, an etiam mali homines. Quinto, an dæmones. Sexto, an ipsemet et proprium corpus, de quibus omnibus, 2-2 q. xxv.

DISTINCTIO XXIX.

Agit de ordine a charitate servando inter hæc diligibilia. Et dividitur in tres partes. In prima supponens quod in charitate debet ordo inquiri, an omnes pari affectu diligendi sint an inæquali. In secunda duas difficultates solvit circa dilectionem malorum, et inimicorum nostrorum. In tertia de gradibus charitatis agit.

Circa primum, ordinem in charitate dari a Scriptura significat in verbis illis sponsæ: *Ordinavit in me charitatem.* Ille autem, inquit Augustinus, ordinatam charitatem habet, qui et diligit quod diligendum est, aut non diligit quod diligendum non est, et amplius diligit quod amplius diligendum est. » Nam Deus propter se diligendus est, et ideo magis homo propter Deum, corpus propter hominem, et sic de aliis. De ipsis autem hominibus dubium est, an pari affectu diligendi sint ex charitate, an unus magis quam alter. Respondetur diversas videri in hoc patrum sententias. Nam Augustinus videtur dicere quod omnes pari affectu diligendi sunt optando eis vitam æternam, sed non pari effectu quantum ad exhibitionem obsequii, nec enim eadem officia omnibus convenire possunt. Alii ut Hieronymus et Ambrosius ponunt ordinem etiam in ipsa dilectione; ut primo Deum, deinde parentes, tertio filios, et domesticos, et fratres, demum etiam inimicos diligamus, sed non pari gradu inimicos et domesticos. Sed aliqui dicunt Deum quidem diligen-

dum esse ante omnia tam affectu, quam obsequio, inter homines vero solum operis exhibitione, diversitatem ordinis in charitate ponendam non secundum affectum; imo aliqui dicunt proximos secundum affectum esse diligendos, sicut nos, et ita omnes esse pari modo diligendos. Sed quia verba Ambrosii etiam in affectu ipso diversitatem ordinis ponunt, ideo alii simpliciter hoc amplectuntur. Et ad Augustinum respondent, ipsum parem affectum ponere respectu omnium ex parte boni, quod omnibus desideratur, scilicet vita æterna, non ex parte ipsius dilectionis.

Circa secundum, duas proponit difficultates. Primo, si parentes nostri, vel filii mali sint, an sint magis diligendi aliis proximis melioribus. Respondetur videri quod magis sunt diligendi boni quam carni conjuncti, ut docet Beda ad illa verba: *Mater mea, et fratres mei hi sunt qui faciunt verbum Dei.* Quam tamen quæstionem penitus non absolvit, sed admonet quod cum mandatur nobis diligere inimicos, non præcipitur ut sicut nos illos diligamus, sed sufficit simpliciter diligere, solum enim dicitur: *Diligite inimicos vestros.* Secunda difficultas est cur præcipiat Dominus diligere inimicos, cum alibi dicat, ut odiamus patrem, et matrem. Respondetur in inimicis diligendam esse naturam non vitia, hæc enim etiam in parentibus odisse debemus.

Circa tertium, assignat gradus charitatis quod alia est incipiens, alia proficiens, alia perfecta. Et perfecta dicitur ut quis paratus sit pro fratribus mori. Nec tamen ut charitas nascitur statim perfecta est, sed nata nutritur, nutrita roboratur, roborata perficitur, perfecta dicit: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.*

Circa hanc distinctionem, primo in-

quirit D. Thomas de ordine ad charitatem, an in ea detur ordo, et an sit attendendus secundum affectum de quo etiam 2-2 quæstio. xxvi artic. 1. Secundo, an Deus super omnia sit diligendus, et an possit intuitu mercedis diligi, de quo ibidem artic. iii. Tertio, utrum magis se quam proximum debeat diligere, et inter proximos, an magis parentes quam extraneos; an magis meliores quam alios, de quo ibidem art. iv et x, et aliis. Quarto, inquiri an convenienter in charitate gradus ponantur, de quo hic.

DISTINCTIO XXX.

In hac distinctione agit Magister de dilectione inimicorum specialiter, et efficacia meriti. Et facit duo. Primo, proponit quæstionem, an majoris meriti diligere amicos, vel inimicos. Secundo, an sine dilectione inimicorum possit dimitti peccatum, et charitas haberi.

Circa primum, respondet propositæ quæstioni in duplici sententia. Primo, docet absolute quod illa dilectio est melior, quæ est ferventior, seu intensior, et ita si dilectio amici ex charitate ferventior est, illa erit majoris meriti. Secundo, ex Augustino qui docet diligere inimicos esse perfectius, solumque in perfectis inveniri, nec in tanta multitudine qualis est, quæ orat ad Deum, ut sibi dimittat sicut dimittit debitoribus suis, hi enim etsi non diligunt inimicos salvantur, quia saltem parcunt fratri roganti veniam, quod si non facerent, peccata eis non dimitterentur. Quod si quis priorem sententiam tenuerit, respondere poterit ad locum Augustini facere eum comparisonem inter eum qui solum diligit inimicum, et amicum, cum eo qui solum diligit amicum, et

ita ille prior semper est perfectior.

Circa secundum, inquiri occasione verborum Augustini qui dicit non omnes qui in oratione Dominica petunt dimitti sibi debita, et exaudiuntur diligere inimicos, quia hoc solum perfectorum est. Quomodo verum sit quod aliqui habeant charitatem, et non diligunt inimicos, habent autem illam si quidem eis peccata dimittuntur. Respondetur vera præceptum diligendi inimicos omnibus esse commune tam perfectis quam imperfectis, sed Augustinum loqui de his, qui perfecte diligunt amicos, et inimicos, hoc enim non omnium sed tantum perfectorum est.

Circa hanc distinctionem, primo inquiri D. Thomas, utrum omnes teneantur diligere inimicos, et quæ signa charitatis teneantur exhibere eis, de quo 2-2 quæstio. xxv a viii. Secundo, an sit majoris meriti diligere amicum, vel inimicum, de quo ibi quæstio. xxvii, artic. vii. Tertio, utrum meritum principaliter sit in charitate, ubi etiam an relatio virtualis saltem ad charitatem sit necessaria pro merito, de quo 1-2 q. cxiv, art. iv.

DISTINCTIO XXXI.

Agit in hac distinctione de duratione charitatis, tam quoad se, quam quoad ejus ordinem. Et dividitur in tres partes. In prima tractat illam quæstionem, an charitas vera semel habita possit amitti. In secunda declarat quomodo dicatur fides, et spes evacuari, non charitas. In tertia, an in Christo et beatis maneat ordo charitatis supra dictus.

Circa primum, refert quorundam opinionem, qui dixerunt charitatem veram nunquam amitti, quæ vero

amittitur vera non fuit. Quod ex quibusdam auctoritatibus colligunt, sicut est illud Apostoli: *Charitas nunquam excidit*, et Augustini: « Charitas quæ deseri potest nunquam vera fuit. » Et super epistolam Joannis: *Charitas ardente sole arescere non potest, nutritur calore solis, non arescit*, idemque docet Beda super Joannem, et Ambrosius et alii. Sed oppositum dicendum est, cum constet aliquos a charitate, et gratia excidere peccando, et aliquando esse bonos postea malos. Unde Ambrosius dicit: « Quibusdam gratia datur in usum ut Sauli, et Judæ, et illis discipulis quibus dictum est: *Ecce nomina vestra scripta sunt in cælo*, et postea abierunt retro. Et ad oppositas auctoritates respondet, quod dicitur charitas non excidere, quia etiam in futura vita perseverat, quod non habet fides, et spes. Et cum dicitur non esse veram charitatem, quæ deseri potest, vel non arescere, sed nutrirī calore solis hæc intelligitur de vera charitate non quantum ad essentiam, sed quantum ad efficientiam, quia non vere nos perducit ad regnum si deseritur, vel etiam intelligitur quod non est vera, id est, perfecta, hæc enim valde difficile amittitur.

Circa secundum, inquit cur fides, et spes, et scientia evacuari dicantur in futuro, quia ex parte sunt, charitas autem non evacuetur cum etiam ex parte sit, ex parte enim nunc diligimus et non plene. Respondetur quod charitas non evacuetur quoad substantiam, sed perficietur quoad modum, fides vero, et spes, etiam quoad substantiam non manebunt. Scientia etiam quoad modum imperfectum quem nunc habet destruetur, non quoad substantiam.

Circa tertium, docet in Christo fuisse ordinem charitatis, non quidem ut omnes diligeret efficaciter

sicut se, sed sicut beati diligunt in patria quia sic divinæ justitiæ sunt addicti, ut nihil eis placeat nisi quod Deo, et eo ordine, et modo quo Deo.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, utrum charitas possit amitti, de quo 2-2 quæstio. xxiv, artic. xii. Secundo, utrum in pœnitente semper resurgat major gratia et charitas, ubi de reviviscencia meritorum, de quo in p. quæstio. lxxxix, artic. ii. Tertio, utrum fides, et spes, evacuentur in patria, de quo 1-2 quæstio. lxxvii, art. iii et iv. Quarto, utrum charitas et ordo charitatis maneat in patria, de quo 1-2 quæstio lxxvii, a vi, et 2-2 quæstio. xxvii a xiii.

DISTINCTIO XXXII.

Post explicatam virtutem charitatis, qua nos diligimus Deum, explicat in hac distinctione Magister charitatem Dei erga nos. Et dividitur in duas partes. In prima tractat quomodo Deus diligat omnia, et unum magis quam illud. In secunda movet quæstionem circa reprobos, quomodo Deus diligat illos.

Circa primum, docet quod dilectio Dei est ipsa ejus substantia, qua non solum personæ diligunt se, sed etiam nos. Et creaturas suas omnes amat: *Nihil enim* (inquit Scriptura) *odisti eorum quæ fecisti*, et tamen magis diligit creaturas racionales, et de illis eas amplius quæ sunt membra Unigeniti sui. Inquit autem quæ sit ratio illius dicti, cur dicamus Deum diligere unum magis, quam alium, et ex alia parte dicitur, Deum omnia diligere. Respondetur quod Deum diligere unum plus, alium minus non pertinet ad aliquam mutabilitatem ipsius Dei, sed ex eo quod majora eis præbet. Et sic duobus modis consideratur dilectio Dei, scilicet

et secundum essentiam, et secundum efficientiam. Et primo modo non recipit magis et minus dilectio Dei, sed secundo modo, quia majora, vel minora beneficia præbet, sicut eadem ratione de novo diligit peccatorem qui convertitur, non quia Deus novum actum dilectionis incipiat habere, sed quia novum inducit effectum, creaturæ enim mutantur, non ipse.

Circa secundum, docet solum de electis concedendum esse, quod ab æterno Deus eos dilexit, reprobos autem odio habuit, sicut scriptum est: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, et sic dilexit eos in quantum opus ejus futuri erant, id est, quales eos facturus erat.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an Deus diligat creaturas, et, utrum diligat ab æterno, de quo i par. quæst. xx a i et iii, ubi etiam quomodo diligat libere, et quid sit in eo liber actus, de quo quæst. xxix. Secundo, inquit an æqualiter diligat omnia, de quo ibidem art. iii. Tertio, an plus diligat peccatorem prædestinatum quam justum præcinitum, de quo hic.

DISTINCTIO XXIII.

Expedito tractatu de virtutibus theologicis, agit in præsentī de virtutibus moralibus. Et facit duo. Primo, enumerat ipsas virtutes. Secundo, inquit an permaneant in patria, et quos actus ibi exerceant.

Circa primum, docet virtutes morales principales ad quas aliæ reducuntur, et cardinales vocantur, esse quatuor, scilicet prudentia, justitia, fortitudo, temperantia; prudentia ut dicit Augustinus in præcavendis insidiis, justitia in subveniendo miseris, fortitudo in sufferendis moles-

tiis, temperantia in coercendis delectationibus. Et istæ virtutes plenissime fuerunt in Christo, de cujus plenitudine omnes accepimus.

Circa secundum, quidam dixerunt has virtutes desinere cum hac vita, præsertim tres ex illis, scilicet prudentia, fortitudo, temperantia, quia non habebunt materiam, quam exerceant, justitia autem immortalis videtur, et magis tunc perfici, quam desinere. Respondetur non desinere istas virtutes, licet non eo modo tunc operentur, quo ista vita. Itaque manebit tunc justitia in contemplatione Dei, quia universas instituit, et moderatur creaturas cum justitia, et cui regnanti subditum esse, justitia est. Prudentia manebit sine ullo periculo erroris, nullum bonum præponendo Deo; fortitudo sine molestia tolerandorum, firmissime adhærendo Deo; temperantia sine libidine, in nullo noxio se delectando. Et ideo illi actus supra numerati præcavendi insidias, tolerandi molestias, etc. sunt actusistarum virtutum pro hac vita tantum. Et sic in alia vita alios usus habebunt istæ virtutes quam modo, ut ait Augustinus et Beda.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an omnes virtutes morales sint una virtus, de quo 1-2 quæstio. lx, artic. i. Secundo, an virtutes sint a natura, de quo ibi quæstio. lxiii, art. ii. Tertio, an consistant in medio, de quo quæstio. lxiv, artic. i. Quarto, an maneat in patria et quomodò, de quo quæstio. lxxvii, art. i. Quinto, an aliquæ virtutes debeant dici cardinales, et quænam sint, de quo quæstio. lxi, artic. i. Sexto, specialiter de prudentia, an habeant materiam, et actum specialem ab aliis virtutibus, de quo 2-2 quæstio. xlvi, artic. v et viii. Septimo, an potentiæ animæ sint subjectum virtutis et quæ, de quo 1-2 qu. lvi.